



Dette værk er downloadet fra Slægtsforskernes Bibliotek

Slægtsforskernes Bibliotek drives af foreningen Danske Slægtsforskere. Det er et privat special-bibliotek med værker, der er en del af vores fælles kulturarv omfattende slægts-, lokal- og personalhistorie.

Støt Slægtsforskernes Bibliotek – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug. Videre publicering og distribution uden for husstanden er ulovlig.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

VITAE ASCETICAE LATINORUM

CUM

Folio 32

RE MILITARI ROMANORUM

COMPARATIO,

QUA

AD EXAMEN ANNIVERSARIUM

IN SCHOLA RIPENSI PUBLICE HABENDUM

INVITATURUS

PROLUDIT

NICOLAUS HJORT

THEOLOGIAE CANDIDATUS ET ADJUNCTUS.

*Ucciana S. Infortuna & Laurano
Bibliothek.*

RIPIS MDCCCXXI.

typis NICOLAI SIERSTED HYPHOFF.

TYPOGRAPHI RIPENSIS.

Quid Tibi darem, quid non, diu, lector benevole, dubius hæseram; quum enim variis distractus negotiis, & librorum copia destitutus, neque in hoc opusculo conscribendo multum temporis consumere neque omnino quidquam a doctrina paratius hisce pagellis absolvere potuissem; materiam viribus æquam sumere constitui. Veritus autem, ne rerum multitudine oppressus, tempore excluderem: eam potissimum ingressus sum viam, quam & Tibi, lector benevole, haud ingratam; & meæ adolescentiæ aptissimam putabam, ut in hoc pro-
lusionis genere luderem potius, quam seria Tecum agerem. In tota vero disputatiuncula hoc præcipue mihi tenendum erat, ut alterum pro cognito, alterum pæne pro incognito haberem, ut Romanorum castra percurrerem, in monasteriis Latinorum diutius morarer, ut in re militari exponenda fere nullus, in vita ascetica tantum non totus essem. Quæ quum ita sint, Te, lector benevole, etiam atque etiam rogo,

ne opus ingenio perfectum, neve industria elaboratum requiras; verum adolescentiæ, incitiæ, negotiis meis nonnihil largiaris, & has qualescunque nugæ in bonam partem accipias.

Ipfa vero monachi cum milite comparatio: —, diligenter cæterum instituta, excusatione haud eger. Nam, si quis a superiore parte regionem spectarit, omnia resupinata, omnia deprimi simul atque emergere videbit: quid multum, plastici artificis manus facile admirabitur; eandem vero si ab inferiore loco oculis perlustrarit, hæc in luce versari, illa in tenebris jacere; hæc argutis coloribus vivisque coruscare, illa cæsia & pane intermortua umbra involvi; alia adesse, alia oculos fugere judicabit: ne multis morer; imaginem pictoris penicillo expressam intueri videbitur. His ab oculis ad animum, a regione ad artes disciplinasque translatis, easdem res non ab iisdem spectatas partibus mirabiliter variari quis negat? Sponte igitur patet, quicumque certa, firma stabilia cognoscere velit; eidem locum esse talem deligendum, quo capto, non solum totum suæ disciplinæ campum oculis emetiri, & ad ultimos usque fines pervenire queat; unde vero in campum quoque huic vicinum despicere possit. Etenim comparatione instituta ad obscuriora accedit alma lux, graviora eminent, minora recedunt.

Ne autem

”moveat cornicula risum

Furtivis nudata coloribus;”

quosnam potissimum viros sequutus fuerim, atque unde, quæ in rem meam caderent, hauserim, libere confitebor. Spittlerum, Henccium, Moshemium perlegi; Roesleri & Schroecchii opera volvebam, & Justi Lipsii de militia Romana libros V in promptu habebam; quibus me plurima accepta referre grato animo testor.

Nil a milite magis abhorrere multi putant quam monachum; hunc enim tectum, timidum, veteratorem, illum apertum, fortem, improvidum, hunc exoletum, tenacem, illum libidinosum esse arbitrantur, sui que profusum.

”Quid enim? concurritur; horæ

Momento cita mors venit, aut victoriâ læta.”

Quo igitur similitudinis aliquid in utroque appareat, origo & principium vitæ monasticæ Latinorum altius repetenda sunt, & in rem militarem Romanorum diligentius inquirendum est; ex utrisque honestatis haud leve studium, ea lem sane animi vis elucebit: præmissas vero disputationes historia, veritatis testis, sequetur.

Fuerunt multi, qui putarent sola calamitatum fuga, quas Christianis Deorum cultores inferre studerent, homines pios &

vere religiosos eo perductos esse, ut lucem & celebrationem fugerent; ab aliorum conventu recederent; & in solitudines migrarent. Verosimile autem non est; qui pro religione sanguinem profunderent, fortunas vitamque devovere nolissent, eos e manibus tortorum elapsos in fauces belluarum temere incucurrisse; præsertim quum ad Persas aliosque imperii Romani finitimos iter vexatis semper pateret; quod nos præter alios multos, quorum nomina recentere operæ haud est pretium, Nestorianorum historia docet. Etenim tali fortuna perculsi, quod proditiōnis vacabant suspicione, eo magis hospitio excepti sunt. Sola igitur pietas in deserta loca homines sevocabat; negotiis enim districti; vinculis domesticis irretiti, & toties ab intempestive accedentibus interpellati, neque animum externarum rerum cura liberare, atque ad Deum ipsum evehere; neque ex intimo pectore preces fundere poterant, nec demique per suos licebat corpus vigiliis, jejuniis, laboribus frangere atque enecare. Qualem autem quantamque animi vim talibus inesse viris judicemus; quos ut sui contemplationi vacarent, omnibus, qui e societate humana percipiuntur, fructibus libenter caruisse, & ne abominabili templorum, ararum, Idolorumque aspectu oculos foedarent omnibus commoditatibus; quas familiaritas mutuaque hominum opera afferant; fortiter renunti-

asse videamus? Non quidem est inficiandum multos externam tantummodo speciem arripuisse; multos in ea cardinem hujusce rei volvi putasse. Tales videmus homines barbæ longitudine cum capris, pallii cum philosophis certasse; lentis pasibus fercula imitatos; victus tenuitate mendicis, morum austeritate barbaris esse æmulatos. Illi vero non sunt audiendi, qui, religionem Christianam convicio corrumpere atque exagitare studentes, istorum crimina in doctrinam salutarem transferunt; horum enim sententia jam dudum explosa esse videtur. Etenim multi

”sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata,”

ipso fervido coelo a labore avocantur; atque in solitudines discedunt. Constat quoque homines otiosæ & solitariæ vitæ studiosos, ut Essenos & Therapeutas; jam ante Christi tempora fuisse; huc accedit una & consona eorum vox, qui peregrinas visentes terras, ejusmodi coenobitas se inter Arabes; Persas, Indos aliasque gentes offendisse testantur.

Quicumque nec luxuria diffluens, nec libidine effoeminatus, verum ipsam naturam ducem sequutus; forti utitur animo; huic profecto proprium est, ut non solum se suosque tueatur, atque illatam vim vi propulset, sed patriam quoque; hostiliter invasam armis defendat, & communem libertatem cum sua vindicet.

Patriæ igitur caritas, qua nihil sanctius, nil libero homine dignius, & servitutis odium, optimo cuique semper ingenitum, animos civium ad arma capienda inflammant. Dein vero, ubi horridis bellis ingenia occaluerunt; animi libidine efferati omnem humanitatis sensum exuerunt; prædandi, rapiendi, consumendi studium accessit; homines in proeliis temere versantur, in pericula coeci ruunt, & togatus civis, domesticarum rerum inmemor, sagum induit, atque in ferocem abit militem. Huc valet laudis quoque & gloriolæ bellicæ cupiditas; etenim in primis stare, lubricum obtinere locum, palmamque accipere pulchrum habetur, ut & suas res gestas, vel poetarum carminibus exornari, vel ab historicis memoriæ prodi, dummodo litterarum præconio æternitati mandentur, nemo non cupit. Neque vero omittenda singulorum astuta calliditas, qui aliorum virtute principatum tenete studentes, gloriosos, quamvis tenues, militibus honores decrevere; gramineæ tamen coronæ, hastæ non ferratæ; cornicula, phaleræ, vexilla, aliaque ejusmodi præmia per se levia fuissent, nisi laudis dulcedo feros militum animos cepisset, & splendorem illis attulisset. Quemcumque igitur haud poenituerit rem militarem Romanorum explorantem ad imas radices descendere; videbit profecto illam a stirpe bona, amore quippe patriæ, laudis & principatus studio ortam esse; inde vero

pullulantibus vitiis, paulatim degenerasse. — Haud aliter vita ascetica & solitaria, ab origine satis honesta profecta, dum a viris sapientibus compescebatur, ferax virtutum erat; sed disciplinæ scalpro haud repressa luxuriare incipiebat.

Quo tempore Decius Christianos magnis vexatos terroribus armis quoque persequabatur, Paulus quidam, cujus vitam Hieronymus enarrat, in solitudinem Thebaidos abiens, vitæ solitariæ autor vulgo fertur fuisse; neque tamen metus, ut supra ostendimus, illi causa secessus fuisse; neque omnino ei sed Antonio prima hujus instituti laus jure vindicanda esse videtur. Etenim pius iste vir, qui tam pulchras habebat orationes, ut pisces concionantem audientes gaudio in undis exultarent, tuguria suorum, ut antea, longissime inter se distare haud passus est; sed, quo facilius necessaria sibi invicem possent subministrare, ea in eundem locum inædificari iussit. Pachomius inde coenobitis in societatem non solum tuguriorum sed ejusdem tecti receptis jejunium, manuum laborem, sui contemplationem precesque certa lege præscripsit. Quum vero monachos sua disciplina perpetuo adstringi noluisset, militibus levis armaturæ dissimiles non erant; semper enim libere vagari, sanctarum reliquiarum frustula plebi divendere, &

† a
CCLI

† a
CCCV

† a
CCCXLVIII

quovis modo imponere poterant. Quam vivendi rationem Hilarion in Palæstinam, Jacobus in Armeniam, Eugenius cum Gaddana atque Azyzo focis in Mesopotamiam transtulit.

^a
DXXIX

Benedictus autem Nursinus, quem monachi occidentales suæ disciplinæ autorem nuncupant, quum pristinam religiosorum hominum vivendi rationem, ab Athanasio Italis probatam, immutasset; solutam eorum vitam regula adstrinxit, vagam atque instabilem certo adligavit loco. In Italia inferiore, qua mons Casinensis tectis oppiduli, unde illi nomen est, imminebat, pius vir omnia Deorum cultus vestigia editis miraculis exstinxit, primumque suorum condidit monasterium. Qui se in illud contulerant, precibus, agriculturæ, puerorum institutioni vacabant; codices & legebant & describebant; victu tenui & frugali, neque vero nimis duro, vestitu simplici, mox autem singulari utebantur. Quoniam enim a societate humana divulsi erant: nihil de vestitu mutantibus non potuerunt non novam & inusitatam speciem brevi præ se ferre, quum aliorum vestes, ut mos ferebat, mutatæ essent. Huic ordini quicumque jam sui iudicii se consecraverant, vel ab ineunte ætate disciplinæ eius alumni a parentibus tutoribusve erant traditi: irrevocabili tenebantur voto. Semen Benedicti manu sparsum multi longe lateque propagabant, namque Placidus Siculos, Maurus Gallos

in hanc vivendi consuetudinem induxit. Inprimis vero Gregorius Magnus, Pontifex Romanus, de monachis bene meritus est; hic quam credulus fuerit, quamque multis superstitionibus obnoxius, vix dici potest; jam enim crines Joannis baptistæ magnum sibi solatium afferre opinabatur; jam ossa Petri Paulique manibus contrectare non sustinebat; idem se ultimum diem, finem hujus sæculi, exitumque hujus rerum ordinis videre metuebat; quin etiam quum Romæ peste laboraretur, tam ardentem edidit preces, ut angelus in culmine molium Hadriani apparens, stricto ense vagina condito, liberationem mali testaretur. Cujus rei ut memoria exstaret, arx & nomen tenuit et statuam nuncii coelestis gladium manu habentis. Quanquam Gregorius manes Trajani precibus placarat, eumque orco exemerat; tamen antiquitatis Latine et Græcæ non erat amator, et, teste Joanne Sarisberienfi, præclarissima scriptorum opera igni abolevit; monachos autem in oculis ferebat, eorumque institutum in Britanniam per Augustinum transducendum curavit.

In hac brevi expositione subsistere libet & ipsam rem propositam aggredi; namque quemadmodum supra demonstratum est magnam originis similitudinem vitæ asceticæ cum militia esse: sic rationis internæ haud minorem videbimus. Quid enim inter votum, quo monachum abbas adstringebat, & jusjurandum,

a
DAD

ad quod miles a consule adigebatur, interest? Nonne utrique se duci audientes dicto fore, nec signa deserturos pollicebantur? Num, quod alterius sacramentum ad crucem, alterius ad aquilam legionariam dicebatur, ideo plane diversa erant? Quum adolescens Romanus, bulla deposita & prætecta exuta toga, cum virili virilem quoque animum induisset, atque amicis & propinquis comitantibus Capitolium ascendisset: tyro factus erat; inde livida gestabat armis brachia, sarcinis onustus longa itinera fuscipiebat, & rem militarem ludis & præceptis, castris & præliis discebat. Haud alter novitio monacho tyrocinium erat deponendum; quin, quo magis unius arbitrio vivebat, eo majores, eo diuturniores ab abbate ei labores injungebantur. Sive igitur obstinatum taciturnitatem per integrum annum tenere, sive marcidam plantam vivo fonte irrigare jubetur, operam detrectare, ne quidem tergiversari audet. Idem quum ad cloacas purgandas, sordes everrendas, aliumve turpem laborem perferendum mittitur, ad nutum præsto esse debet. Quoniam autem non sola obedientia, verum etiam paupertas & castimonia in novitio requiruntur: innumeris tentatur modis, innumera harum virtutum documenta dare cogitur; atque adeo ridicula horum nonnulla sunt, ut homines ratione præditos ad ea descendisse jure mireris. Utrum igitur major fuerit perferendi patientia & stultitia, an machinandi

astutia & crudelitas, recte dubitaveris. Etenim quum abbates monasterii alumnos in ardentem ignem frigidos insilire, aut in rapidum fluvium natandi imperitos dejici jussissent; monasticam disciplinam tetricam fuisse, immo, quod doctum hominem non fugit, disciplina militari crudeliorem fuisse sponte patet.

Quanta principii & internæ rationis, tanta factorum & casuum inter rem monasticam Latinorum & rem militarem Romanorum intercedit convenientia. Ut enim milites honore afficiebantur, sic dignitate non minore monachi erant. Quæ res vel exinde elucet, quod qui in heroibus accensebantur, inter Deorum cultores e viris bello præclaris, inter Christianos e monachis erant arcesiti, quum enim imperatores Romani ab armis cessassent; neque vexationibus diutius esset locus: monachi, qui sese omnibus malis excruciaverant, martyrum corona donati sunt. Qualis autem quantaque horum autoritas fuerit, nomina, quibus insignebantur, docent; namque brevi ii solum religiosorum titulo salutabantur; conversi a Benedicto reg. c. LIX appellantur. (Quamquam alia quoque vis huic voci subiecta est; illo nempe nomine, qui in matrimonio abstinentia usi erant, celebrati sunt; act. concilii Arelatensis; quicumque matrimonium inierit, episcopus creati non potest, nisi præmissa fuerit *conversio*). *Regenerati præ-*

terea, Deo sacri atque iterum baptizati monachi sæpe audiebant; precibus denique, quæ in monasteriis fundebantur, operis Dei nomen erat. Monachi autem, ad ceteros homines aditu intercluso, in unam eandemque societatem cum clericis celeriter coaluerunt; primum quidem & laici erant, & habebantur; quemadmodum vero per militiam ad honores civiles Romanis via patebat, (Cato v. c., quum in Sicilia Tribunus militum fuisset, castra Claudii Neronis sequutus esset, & quaesturam gessisset: Ædilis plebis factus est.): ita quoque ex ordinibus religiosis episcopi sæpe eligebantur; immo clericali munere qui jam antea functi erant, illis adscripti, novum amplumque ornamentum sibi accessisse arbitrati sunt. Quum præterea monachis a societate humana divulsis ceterorum templa celebrare non liceret (ut a militibus Romanis signa, Svetonio teste, numinum loco colebantur): proprium in quovis monasterio sacellum constituendum erat, atque sacrorum minister, ex ipsis electus, huic præficiendus erat. Quæ res quantum dignitatem eorum adauxerit, quantumque clericis eos adæquaverit, mirabile dictu est. Res gestæ, quum litteris mandata leguntur, plerumque scribentis ingenio & voluntate æstimantur; vel celebrantur, vel obscurantur; monachis igitur facta ceterorum memoriae prodeuntibus cordi semper erat primas suis

ordinibus partes vindicare; hanc enim rationem ingressi, feliciter se ad celebritatem posse pervenire videbant. Tales rerum scriptores non solum virorum, qui factis inclyti fuerant, sed sui ipsorum & ordinum, quibus consecrati sunt, imaginem expresserunt. Postremum, lector benevole, ipsa coenobia cogitatione lustremus; omnia in his instructa & comparata non solum ad benevolentiam potentium captandam, vel ad oculos plebis præstringendos, sed ad animos honorum & prudentium conciliandos videbimus. Ecce enim hoc portu fessi atque emeriti reipublicæ gubernatores recipiuntur, hoc ludo feri nobilitatis mores finguntur, hac custodia seditiosi homines leniter tenentur, hoc asylo vexati teguntur, hoc denique hospitio ægroti, invalidi, senes curantur.

Jam alia nobis inter monachos & milites exoritur similitudo: utrique nempe plurimum poterant. Dum respublica Romana justitia & æquitate, neque largitionibus & paucorum factione gubernata erat: palma togæ cessit. Sed quum armis dilacerari respublica coepta esset, prætoriani milites, legibus soluti, omnia sibi arrogarunt, nihil magistratibus reliquerunt; quin sub eruenta hasta ipsam imperatoriam dignitatem vendere ausi sunt. Sic opes militares iisdem tyrannis, a quibus adjunctæ atque adauctæ fuerant, perniciæ erant. Haud aliam monachi, per Pontifices Romanos crescentes,

gratiam iis referebant. Gregorius quidem Magnus plurimas coenobitarum cum episcopis lites composuit, hos ad æquitatem, illos ad obedientiam cohortatus. Zacharias vero & Stephanus monasteria nonnulla, clericorum cura exempta, in tutelarem fidem receperunt. Quam immunitatem qui semel nati erant, via jam munita feliciter ad majores opes procedentes, longo temporis spatio interjecto, quodvis clericorum jugum excussere; quo factò monachi milites ipsorum vestigiis persequuti, omnia postremum nimia intemperantia, immoderata licentia perdidit. Potentia vero, quam monachi sibi pepererant, non solum papis, verum conatibus & industria ipsorum debebatur. Namque foribus sacellorum monasterialium, quæ antea laico nulli patuerant, reclusis, plebem insciam, credulam & novi curiosam facillime sibi devinciebant, fabulas fictas pravasque opiniones inter homines cujusvis ordinis divulgantes, & formularum liturgicarum, rituum absurdorum, festorumque dierum ingentem vim proferentes. Nunc precum suarum efficaciam magnis efferebant laudibus; nunc corpora equitum fortium, qui multis laboribus per vitam defuncti morte tandem acquiescere studuerant, suis cellis recipiebant; eosque cucullo tegentes, cruce pectori imposita, missis & cantilenis sacris se igni purgatorio liberare contendebant. Nobiles præterea illo tempore armis dimicare, feris

infidiari, equos in gyrum ducere consueverant, neque vero effrenati ipsi se in gyrum doctrinæ duci patiebantur. Religiosi igitur homines in dicendo scribendoque multum versari, & ad inuicem domi obeunda fere soli adhiberi, apud reges principesque plurimum poterant; quartum v. c. Cassiodorus apud Theodoricum Magnum, Alcuinus apud Carolum M., Walah, abbas Corbeix, apud Ludovicum Pium & Agobardus apud Lotharium, filium ejus, pietate & eloquentia valuit. Nulla vero alia in terra regiæ opes monachorum autoritate adeo comminutæ & fractæ esse ac in Britannia videntur; illæ enim jam antea crebris Danorum invasionibus confenuerant. Jam Odo, in Dania natus, qui, antequam in illam terram profectus esset, neque salutari doctrina imbutus, neque sacro fonte initiatus erat, Archiepiscopus Cantabrigiensis factus, opes monachorum summo studio adjuvit. Cui Dunstanus, Lundini & Worcestriæ episcopus, in archiepiscopalem honorem successit. Hic plurimarum conjurationum autor, quum statuis vel voces, vel lacrymas exprimeret, atque ædificia subruta in aduersarios decidere juberet, imperium sex regum, diutinum ecclesiæ orium seditionibus turbavit. Opes vero ordinum mendicantium, quum judiciis quibus in Gallia hæretici, in Germania veneficæ condemnabantur, præpositi essent, magnum ceperunt incrementum.

Restat denique, ut de ultima eaque maxima similitudine, quæ est rei monasticæ Latino-
rum cum re militari Romanorum pauca afferamus; iis enim, quæ per utrosque effecta erant, comparatis, rem publicam civilem idem detrimentum, eosdem ex utrisque fructus cepisse videbis; De illo commemorasse satis est; adeo enim in promptu sunt omnia, ut res explicatione haud egeat; nonnullis præterea locis de illo jam supra facta est mentio; de utilitate vero, quæ ex utrisque ad Europæos homines affluxit paulo uberius dicendum. Hispania, Gallia, Britannia & maxima Germaniæ pars a Romanis bello subactæ sunt; namque illam terram Scipio major, Pompeius, Agrippa, istam P. Flaccus, Q. Fabius, Cæsar, hanc Scapula, Plautinus, Agricola Romanorum imperio subjecerunt; in Germania Tiberius, Drusus & Cæsar, filius ejus, cui e victoriis Germanici nomen inditum est, feliciter bellarunt. Quo factum est, ut nationes lingua, legibus, institutis inter se differentes arctiore vinculo constringerentur. Easdem vero provincias quum gentes barbaræ abalienassent; monachi, armorum quamvis expertes, sub potestatem Pontificis Romani redigebant.

Primus Reccaredus, Visigothorum in Hispania rex, quum ab Arianis neque miracula edis, neque reliquias igni spectari posse ægre ferret, & tyrannidem, qua esset vi potitus, se armis

vindicaturum desperaret: Ariana fide ejurata, gremio ecclesiæ catholicæ receptus est, & novam cum Papa societatem inivit. Eodem fere modo Papæ, Gallorum animis per monachos sibi conciliatis, summa prudentia in imperio confirmando usi, jam de clericorum autoritate detrahebant, jam eam adaugebant, atque edictis & palliis Gallos sub sua clientela retinere conabantur. Augustinus inde, qui monasterii S. Andree abbas Romæ fuerat, Benedictinis quadraginta comitibus, in Britanniam hortatæ Gregorii Magni iter suscepit. Hic crucem argenteam præ se gerens, quum sacros decantaret hymnos, plurimas urbes ovans ingressus est; multitudo autem imperita catenas S. Pauli, quas ille Roma apportaverat, admirata, S. Petri sibi injici facile patiebatur. At Augustinus, posteaquam hanc terram sub ditionem Romanam redegerat, Deorum fana haud demolitus, heroibus modo Christianis dedicavit. In Germania quidem monachorum opera diu male cedebat; quin ipse Radbodus, Frisiorum dux, quum lavacrum baptismale jam pede tentaret, celeriter eum retulit, seque cum majoribus apud Vodanum beate vivere malle quam cum paucis Christianis in coelo dixit. Illo autem mortuo, Vinifridus, Benedictinus, sacra religionis salutiferæ propagandi nactus occasionem, sequenti anno Romam adiit, ut mandata & reliquias a Papa acciperet. Quatuor inde clapsis

annis, episcopus itinerarius in terra infidelium creatus, & Bonifacii nomine salutatus, turma equitum præsidio data, Hessian, Thuringiam & Saxoniam peragravit. Denique vero Vicarius Pontificis Romani in Germania a Gregorio III creatus, eandem terram, quam fortes & bellicosi viri expugnare non potuerant, potestati cleri effoeminati atque imbellis subjecisse videtur.

Ut eadem terra militum ac monachorum armis, sic idem solum aratris utrorumque subigebatur, & multæ urbes illorum castris aut horum monasteriis debentur. Milites enim Romani, quum castra stativa fecissent, ne frumenti inopia laborarent; finitimos agros feramentis, quæ secum quisque apportaverat, colebant & sementes maximas faciebant; sectores inde, lixæ & mercatores cujusvis generis castra magna frequentia adibant; pistores, coqui, popæ in illa constuebant; milites artes exercebant. Sic, qui antea sub pellibus continebantur, tecta subierunt; ubi castra collocata erant, urbs exstructa est; sic Aquileia, sic Colonia Agrippina & multa alia oppida condita sunt. Eadem monachorum merita docti viri, qui alias terras visendi causa peregre profecti sunt, uno ore confirmant, magnis efferunt laudibus. Videbant scilicet coenobia Benedictinorum in editis pendere rupibus, quæ manu foecundæ redderentur, in magnis inædificata pa-

Iudibus, quæ canalibus exsiccarentur, vel in vasta solitudine exstructa, quæ arte & labore in agros fertiles mutaretur. Patet igitur monachos haud eandem in ecclesiis condendis viam ingressos esse ac primos Christianos; quos ad celebres modo urbes atque hominum multitudine affluentes se contulisse constat; illi vero, quum inaccessas silvas petivissent, insulas suas per temporis decursum in oppida tectis frequentia abire viderunt. Sic v. c. Gallus Constantiam & S. Galli Fanum condidit; ut huic ipse, illi Joannes discipulus præseset. A Ruperto, quem Theodo II Vormatia arcessiverat, Juvavium, posthæc Salisburgum, exædificatum est. Bonifacius, quo veræ religionis propagandæ seminarium Germania haberet, Fuldæ autor fuit.

In comparatione subsistemus, si hoc unum adjunxerimus, quod, quoniam hac luce clarius est, nemo facile est inficias; linguam Latinam, artes, scientiasque utiles per itinera monachorum & militum Europæis innotuisse. Cicero quidem ait Latina suis finibus (id est Latii) exiguis fane contineri; verum ad ultimos imperii Romani fines sermonem Latinum pervenisse monumenta publica & privata (v. c. inscriptiones sepulcrales) quin ipsæ recentiores linguæ testantur. Cujus rei vel maxima laus militibus crebra itinera suscipientibus utique tribuenda

esse videtur. Eodem autem sermone quum monachi sacras haberent conciones, carmina prærent, hymnos decantarent, historias conficerent, omnia denique ecclesiastica & civilia negotia tractarent: de illo divulgando non poterunt non bene mereri. Ut illi sic hi pistorum, fabri, cæmentarii erant, immo liberalibus quoque artibus operam dabant; Methodius e. c. poenas sceleratorum atque ultimum iudicium pictura exprimens, Bulgarorum regi tantum incuscit terrorem, ut ad sacra Christianorum transfret. Utrique præterea & milites & monachi, otio desides, muneribus ditati atque superbia elati, calones & laicos, quæ ad victum cultumque pertinerent, sibi subministrare iusserunt. Semper historici virtutes, quas Romani, ab armis nunquam discedentes, perpetuis bellis assequuti sunt, gravitatem nempe, prudentiam, rerum experientiam, pleniore laudarunt ore; cognitiones vero, scientias, doctrinam non item; quamquam milites Romanos, Græcorum artes & ingenii monumenta primum admiratos, eodem studio cives imbuisse nemo negat. Altera vero ex parte monachi præclara antiquitatis opera in librariis asservantes, inter Arabes & Græcos non semel degentes, utiles inde cum ceteris hominibus scientias communicabant, atque atras incitiæ tenebras sensim sensimque dispellebant.

Dimittenderne ere:

Carl Adolph Hjort, Søn af afdøde Biskop og Ridder Hjort;

Christian Frøderik Julius Hammeleff, Søn af Justitsraad, Doctor Juris Hammeleff, Amtsforvalter i Bredsted;

Christen Noe Tang, Søn af afdøde Kammerraad Tang, Eier af Nørrevosborg;

Jens Klint Bagger, Søn af afdøde Pastor Bagger i Ballum;

Werner Jasper Andreas Ramfing, Søn af Giestgiver Ramfing i Ribe;

Andreas Christian Brøndsted, Søn af Pastor Brøndsted i Warde;

Jens Hansen Bjerrum, Søn af Hr. Bjerrum i Sønderfardrup.

Examen begynner den 6te September og holdes i følgende Orden:

Torsdagen	6te September		Dansk Stil.
Fredagen	7de	—	Latinsk Stil.
Löverdagen	8de	—	Græsk.
Mandagen	10de	—	Historie og Geographie.
Tirsdagen	11te	—	Naturhistorie og Tydsk.
Onsdagen	12te	—	Mathematik.
Torsdagen	13de	—	Latin.
Fredagen	14de	—	
Löverdagen	15de	—	Hebraisk.
Mandagen	17de	—	Religion.
Tirsdag	18de	—	Dansk.
Onsdagen	19de	—	Fransk.

Den Os anbetroede Ungdoms Forældre, Paarørende og andre Skolens Velyndere indbydes til at overvære Examen og den Höitidelighed, hvormed den sluttet Fredagen den 21de om Eftermiddagen Kl. 3.